

vultus vestri non erubescant. Ego cum deliberabam, ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego eram, qui volebam; ego eram, qui nolebam: ego ego eram, nec plene volebam, nec plene nolebam. Ideo mecum contendebam, et dissipabar a meipso. Et ipsa dissipatio, me invito quidem, fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienae, sed poenam meae. Et ideo non jam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum, de supplicio liberioris peccati: quia eram filius Adam. Nam si tot sunt contrariae naturae, quot voluntates sibi resistunt: non jam duae, sed plures erunt. Si deliberet quisquam, utrum ad conventiculum eorum pergat, an ad theatrum, clamant isti: Ecce duae naturae, una bona hac ad conventiculum ducit, altera mala illac ad theatrum reducit. Nam unde ista cunctatio sibimet adversantium voluntatum? Ego autem dico ambas malas, et quae ad illos ducit, et quae ad theatrum reducit. Sed non credunt nisi bonam esse, qua itur ad eos. Quid si ergo quisquam nostrum deliberet, et secum altercantibus duabus voluntatibus fluctuet, utrum ad theatrum pergat, an ad Ecclesiam nostram: nonne et isti, quid respondeant, fluctuabunt? Aut enim factebuntur, quod nolunt, bona voluntate pergi in Ecclesiam nostram: sicut in eam pergunt, qui sacramentis ejus imbuti sunt, atque definentur: aut duas malas naturas, et duas malas mentes in uno homine configere putabunt, et non erit verum, quod solent dicere unam bonam, et alteram malam: aut convertentur ad verum, et non negabunt, cum quisque deliberat animam unam diversis voluntatibus aestuare. Jam ergo non dicant, cum duas voluntates in homine uno adversari sibi sentiunt, duas contrarias mentes de duabus contrariis substantiis, et de duobus contrariis principiis contendere, unam bonam, alteram malam. Nam tu, Deus verax, improbas eos, et redarguis, atque convincis eos, sicut in utraque mala voluntate, cum quisque deliberat, utrum hominem veneno interimat, an ferro: utrum fundum alienum